



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotee.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.1. Christi per vicos & plateas raptati consideratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](#)

& nostri gratiâ, non autem ut Dei & ipsius causâ, amemus,  
in nobis vivere permittendum: sive (ut nonnulli dixerunt)  
cum aliqua quidem exaggeratione, sed ad rem oculis subi-

*Suô serm. 4.* ciendam appositi, Theologîæ mysticæ Doctores) nullâ ita  
*Blos. infi. sp.* nobis restare debet gutta sanguinis, quæ non sit divino  
more excocta.

*Eckardus a-  
pud Thaul.  
Etc.*

Quæ sanè, nimisquam fallitur, qui putaverit, opus  
(ut ita dicam) unius diei, aut defunctioræ opera laborum  
esse, aut absque agone, lucta, vulnere, evinci & obtinere  
posse. Veruntamen devota voluntas cum divina gratia  
potest omnia; & pedentim ac passim progrediendo, a-  
scenditur etiam ad summa. Quare quotidiano orationis  
studio, & abnegationis sui exercitio, naturæ pravitas patet  
aliquâ vincenda & emendanda est, quò sensim discat esse  
subjecta; déq; homine veteri, & inolitâ nobis vitionum  
rubigine, aliquid assiduè deterendum: habendumq; pra-  
culis opportunum in præsens, præceptum S. Francisci Xe-

*L. 4. Vit. c. 9.* verij; qui, ut proditur in ejus vita: *Socios identidem am-  
nebat, ut semet parvis in rebus vincere affuerent: ita b-  
rum magnorum certaminum fore victores.*

Atque isti ferè sunt fructus, quos ex horto Gethse-  
ni, & memorabili in illo Christi oratione colligendo po-  
tavimus.

### CAPVT III.

*Imitatio Christi circumducti per vias Je-  
rusalem.*

§. I.

*Christi per vicos & plateas raptati consideratio.*

**C**um, ut principio hujus quintæ partis diximus, omnis  
Christi actio, nostra sit instrucçio; & vel simbria ve-  
stimenta

ffimenti ejus salutari contactu adhibita, hoc est ( sicut licet interpretari) etiam extrema ac minima sacra ejus humanitatis operatio piâ meditatione tractata, multum valeat ad curandas nostras infirmitates: possimus & ex his Salvatoris nostri itineribus, nonnulla ad usus quotidianos salutaria deducere, & ad propositum nobis exemplum, mores nostros utiliter informare.

In primis igitur considerabis, quemadmodum benignissimus J E S U S , ab insolenti licitorum ac satellitum turba, non tam circumducitur, quam ultiro citroq; de tribunal ad tribunal, raptatur per vicos & plateas Jerosolymæ; quo militum clamore; quo populi undiq; confluentis censu; quam varijs spectantium aut comitantium affectibus: dum alij mirantur tantum Prophetam tam barbaris & indignis tractari modis; alij, & plures, seductorem, veneficum, sacrilegum inclamat; alij, & pauci, ut in tanto numero, attestantur ejus innocentiam, & subitanam rerum conversionem, hominisq; sanctissimi vices, ac sortem ini quam miserantur. Insere te quoque ei comitantium turbæ, & præuntem Dominum devotis vestigijs affectans, ea quæ geruntur, attentiū contemplare.

Inspice præsertim, quo inter hac habitu Salvator, quam modestâ atque honestâ (quantum ei quidem per militarem insolentiam licebat) totius corporis compositione processerit: quam verecundiâ, quo pudore suffusus, non tam ob fannas & opprobria, quibus undique atrociter impetrabatur homo mansuetissimus & innocentissimus, quam quod ante oculos Patris irati compareret, portans iniquitates nostras, & tanquam hircus emissarius, populi peccatis & imprecationibus onustus, per urbis vicos circumducetur, mox ei sciendus extra castra, & veluti in solitudine ferarum dentibus ad certam mortem obisciendus. Itaq; vultu rubore confuso, quod speciem ac personam peccatoris geret,

*Lebit. 16.*

K.k.k.

ret.,

ret, humi obversos tenebat oculos, nisi quod subinde illus sustollebat in cœlum; id præsertim agens atque contemnens, ut Patrem suum mundo placaret, & suâ illâ confusione, ab æterno nos opprobrio & confusione liberaret.

## §. 2.

*Nonnullæ ad eam imitationem opportuna præceptiones.*

Ergo ad nonnullam Redemptoris tui in re propositam imitationem, ista quæ subiçimus attende.

*Primò:* Quando procedes in publicum, id è tuum cumspetione, è corporis ac vultus compositione, facio quasi Christum Dominum per vias Jerosolymæ circumductum, aut jam crucem suam bajulantem, comitare; et mulari studens illius insignem modestiam, quam ita commendat Apostolus, ut per illam Corinthios oblecret, dicens: *Obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi.*

*Secundò:* Procede cum interiori mentis confusione, memor peccatorum tuorum, quibus & æterna inferni supplicia meritus es, & causam præbuisti tot supplicijs ac doloribus, ipsiq; adeò amarissimam morti Domini ac Deit tui.

*L. 4. vit. c. 1.* Finge peccata tua atq; imperfectiones toti mundoatas, & te ut hujus istiusve vitij fœditate conspicu ab omnibus notari. Quemadmodum de B. Francisco Borgia compimus: qui cùm ab inferni meditatione recens veniret, scito tristior per vias incedere visus est; quod omnes credo, se tanquam hominem ab inferis existentem intueri.

Alias (quod hoc quoq; pertinet) finges te, ut reum de scelerum tuorum vinculis constrictum ad tribunal duci diuinæ Justitiae. Quod quidem re ipsa verum est, si rectè attendimus: quandoquidem hæc vita mortalís, nihil nisi via sit, promùm ad mortem, deinde ad divinum judicium: tamet uia fortassis aliquantò longior est futura. Ut igitur reus qui ad Judicis tribunal trahitur, incertus de vitæ mortis vel